



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



32.

*Q. D. B. V.*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. FRIDERICO AVGUSTO,**  
ELECTORATUS SAX. HAEREDE,  
ETC. ETC  
DISPUTATIONEM  
*DE*  
**INTERNA BONITATE**  
*AC*  
**MALITIA,**  
**ACTUUM MORALIUM,**  
*PRAESIDE*  
**HENRICO REUSSIORI**  
MOR. PROF. PUBL.  
*IN ACADEMIA WITTENBERGENSI,*  
A.R.S. MDCCIX. d.XVII.APR.  
*In Auditorio Majori*  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXPONET  
AVCTOR  
**SALOMON VOIGT,**  
DRESDENSIS.

---

WITTENBERGAE, LITERIS GERDESIANIS.

VIRO  
AMPLISSIMO CONSULTISSIMO DOCTISSI-  
MO QVE DOMINO,

DOMINO

MARTINO ALBERTO,  
CONSILIARIO REGIO LONGE GRAVISSIMO  
REIPUBLICAE FREIBERGENSIS CONSVLI  
DVDVM MERITISSIMO  
MOECENATI SVO STVDIORVMQVE AMPLIFICATORI  
SANCTE VENERANDO.

DISSERTATIONEM PRAESENTEM

Ea qva par est animi Submissione

offert

AUTOR

S. Y.

TELEGRAMMEN

TELEGRAMMEN

TELEGRAMMEN

# PROOEMIUM.

**P**Rimum specimen academicum editurus, in eligendo themate diu haesitabundus, et quorsum me converterem ignarus eram. Inprimis quidem mihi ut philosophiae hactenus cultori uno quasi intuitu omnes se se philosophiae praestantisimae offerebant disciplinae, qvarum modo haec, modo alia animum distrahebat, in singulis enim nihil aliud, praeter res praelarissimas, ac longe supra juvenile judicium captumque meum positas inveniebam. Tandem Philosophiae practicae paulo accuratius incumbens, ejus, ordine, usu, et praestantia prima disciplina, quam Ethicam philosophi nominare solent, adeo occupabat animum; ut certus fierem ex hac thema qvoddam ad publicam ventilationem proponere: Idque eo magis, qvo majorem in ea addiscenda operam collocare constitui. Quid enim quaeso homini utilius, qvid ei praecarius, qvid denique salubrius; moralitatis studio, nonne illa vitam honestam, animum tranqvillum, actiones DEO et hominibus gratias reddit? et homini ipsi summam praebet felicitatem? Qvis ergo institutum nostrum erit improbaturus, si ex hac prudentia praeclarissima controversiam quoddam eligamus, et qvidem prae caeteris nobilissimam istam, DE INTERNA ACTUUM MORALIUM BONITATE AC MALITIA, de qua certe non exigua inter moralistas, lis et contentio est. Itaque in ea veritatem insqvire, pro modulo virium nostrorum omnem movebimus lapidem. Divinum Numen interim, omnes res gubernans, rogamus ut nostro adsit instituto, et ad felicem istud perducat finem.

A 2

Apb.

**A**Ctus morales ratione formae, sunt vel boni vel mali.

EJUS EXPLICATIO.

Inter alias actuum moralium divisiones, quae eos vel elicitos, et imperatos, vel proprios et alienos, voluntarios et invitatos, mixtos et similes constituant, non est exigui ponderis formalis illa divisio in bonos et malos, de qua sententiae extant innumerae, nec adversariorum copia deest, qui hanc divisionem varie, et minus accurate intelligunt, ut infra patebit. Nos de hac nobilissima et sine ignorantis culpa in Ethicis haud praetermittenda divisione, quaedam differere nobis sumsimus, in primis nostram, et senioribus moralistis approbatam, sententiam exposituri. Est enim forma actuum moralium duplex: alia externa, quae consistit in relatione seu respectu ad legem, ubi propter congruentiam cum lege, actus aliquis bonus, propter ~~avulsi~~, actus malus dicitur; alia forma interna, quae consistit in intrinseca habitudine actuum moralium, seu in congruentia actus ipsius cum objecto suo et omnibus circumstantiis necessariis. Non adeo prior hoc loco, sed posterior, intelligitur.

II.

**Q**Vidam actus morales in se, et antecedenter ad legem, imo et ad voluntatem divinam, vel boni vel mali sunt.

Notanter vero dicimus actus quosdam morales, et antecedenter ad legem bonos vel malos esse, ita ut a nulla

nulla legie humana, vel quocunque magistratur, boni  
vel mali constitui, quin tales jam ante sint, queant. Sic  
e. g. Princeps suis statutis legibusve, cultum divinum,  
dilectionem proximi, et similes actus alios, non facit  
bonos, nec, prohibitione sua, blasphemiam, furtum,  
homicidium et alia scelera, facit mala: Hi enim actus  
omnes in se, et ante legis hujusmodi positionem jam  
mali sunt; illi per se boni. II. Antecedenter ad voluntate  
divinam actus quosdam morales bonos vel ma-  
los esse dicimus; quia actus illos morales per se bonos  
DEVS non potuit alios, nec, vice versa, malos alias,  
quam tales, statuere, neque voluntate, lege, ac deca-  
logo, eos aliter, ac factum est, determinare. Sic e. g.  
adorationem sui DEVS non potuit non praecepere,  
blasphemiam vero non potuit non verare, ac prohibere.  
Ideo cum B. Roehrenso in Prudent. Moral. cap. IV. §. 15.  
afferimus, *bonum ex integrâ causa bonum esse, malum ex*  
*quodvis defectu malum esse, et basitatem atque malitiam in*  
*ipso actu, intrinsece latere, ob convenientiam vel disconven-  
tiam ad objectum.* Ita, quando actus internam cum ob-  
jecto suo habet convenientiam e. g. cultus divinus, cum  
DEO, per se bonus est; si vero disconvenit habet  
cum objecto internam, e. g. in abreptione boni alieni,  
ubi disconvenit actus, abreptio, cum objecto, bono al-  
terius, tum actus in se est malus. Nam lex naturalis  
prohibet ea, quae secundum se mala sunt, quatenus talia;  
Et ideo supponit in ipsis objectis seu actionibus debitum, in-  
trinsicum ante omnem legem externam, ut non amentur seu  
fiant; Et contra precipit bona quatenus intrinsicam con-  
nectionem et necessitatem habent enim naturarationab. Voet.  
Disp. de J. et Iustit. Dei. p. 349. Ita quanquam nullae le-  
ges, neque divinae, neque humanae datae esent, actus  
tamen illi: Cultus Numinis, amor erga proximum etc.

in se actus boni essent, blasphemia vero, homicidium furtum, incestus, et alia vitia in se mala essent, quanquam ab omnibus legibus abstrahas. Ex quibus vero satis patet nobis de objectiva moralitate sermonem esse. Tria enim ad moralitatem fundamenta reqviruntur, (1.) ex parte Dei, justitia, sapientia, et Sanctitas. DEI ex qua leges fluunt. (2.) Ex parte subjecti ut illud instructum sit intellectu ac voluntate. (3.) Ex parte objectorum ut illa actibus convenienter, de ultima et tertio nos agimus fundamento, quanquam priora non excludamus. Reliquum proinde quosdam actus morales in se, et antecedenter ad legem seu voluntatem divinam bonos vel malos esse, id quod nobiscum multi sapientissimorum moralistarum affirmant. conf. Scherzerus in Nucleo Philosoph. de Indifferentismo Moral. p. 214. & seqq. Phil. Dispp. Select. Theolog. Appendice ad Disputat. de J. et Justit. Dei P. I. p. 305. & seqq. ubi fuse hanc sententiam nostram defendit. Zenigrav. de Orig. J. N. Artic. IX. §. 5. Ansbach. Bittig. Diff. de Natur. et Orig. moralitatis, Sect. I. p. 11. ubi necessario inquit, consequitur, moralitatem non sola voluntate, DEI libera, sed etiam ab ipsa rerum intrinseca coniunctione oriri. Et J. Jac. Müller. Institut. Ethic. P. I. c. II. §. 10. M. Timeus Diff. de Indifferentismo. Moral. §. 20. et alii.

### III.

**P**ER quod actus moralis id est, quod esse dicitur, id formam ejus constituit, id quod de bonitate ac malitia ejus recte afferitur.

Per hanc rationem confirmamus id, quod in aphorismo I posuiimus. formale scilicet actuum materialium quae talium, in bonitate & malitia ejus consistere, et hanc aestimari ex forma supra commemorata. Forma enim secun-

secundum Metaphysicos dat esse rei, seu est id, per quod quid illud est, quod esse dicitur, vel internam rei essentiam demonstrat, eandemque ab aliis distinguit. Hanc vero descriptionem bonitati et malitia actuum moralium convenire nemo non videt; rectissime ergo, ea formale actuum moralium constituere dicitur, ut omnes metas non attingunt, qui aliud fingunt formale, ut infra videbimus.

## IV.

**L**Ex actuum moralium per se bonorum et malorum naturam neque constituere neque mutare potest, quia tantum norma eorum est.

Lex utraqve, divina, et humana actuum moralium dictorum naturam seu bonitatem et malitiam primum determinare non potest: nihil enim aliud est quam norma quaedam, quae actus illos morales bonos vel malos non constituit, sed jam in se, et intrinsece bonos, ut norma seu regula, exercendos, jam in se et intrinsece malos vero, vitandos, ostendit. Ut Euthygrammus rectitudinem et curvitatem lineae non facit, (origitur enim a principio interno seu fluxu punctorum) ita lex non facit in actibus natura bonis, bonitatem, in actibus natura malis, malitiam, sed tantum eam ostendit. Sic lex divina cultum DEI, adorationem ejus, pietatem, et alios actus per se bonos, non facit, et constituit bonos, sed hos jam in se bonos exercendos praecipit; furtum vero, homicidium, adulterium etc. non facit malos, sed, quia in se sunt mali, non potest non eos prohibere, quia tantum norma actuum moralium est, non formale seu essentialie constitutivum. Perinde prope-

propemodum se res habet in lege humana et civilis,  
qvae actus bonos ob internam bonitatem suam praeci-  
pere, malos vero contra vetare cogitur, nisi D.E.O., na-  
turae, et sanae rationi adverteretur. Lex scilicet ad actus  
substantiam se habet vel antecedenter, vel consequen-  
ter. (a.) Antecedenter quando lex aliquando prior  
videtur esse actu, infundens ipsi moralitatem. Sic v.g.  
edere de pomo actus erat indifferens, supervenientis tamen  
lex prohibitiva infundebat actui illegalitatem. (β.) Consequenter, quando actus prior sua entitate est lege.  
Sic v.g. blasphemia non potest non mala concipi, ita ut  
haec malitia legislatorem moveat, ut consequente lege  
eam prohibeat. Prior distinctio actibus indifferenti-  
bus convenit, posterior vero hic in actibus nempe sua  
natura et per se bonis vel malis, locum habet. Te-  
statur illud oratoriae et morum Doctor celeberrimus,  
Cicero, legem describens, *quod lex nihil aliud sit, nisi  
recta et a Numinis Deorum tractata ratio imperans honesta  
prohibens contraria.* seu mala Orat. LIII. p. 915. Opp. Ubi ex-  
presso afferit, legem ejusmodi rationem seu regulam  
esse, qvae honesta non faciat, sed ea, qvae honesta jam  
sunt imperet. Qvamcunque enim legem tibi conci-  
pias, vel naturalem seu divinam hominum cordi in-  
scriptam, vel humanam et positivam, nihil aliud tibi  
concipies quam solam normam seu regulam bona et  
mala demonstrantem. Lex divina, ut B. Roehrenseius  
eam describit, *est lex menti humanae naturaliter insita,*  
*suggerens principia practica, quibus actus honestus praecipitur*  
*turpis defatur.* Prudent. Moral. C. II. §. 10. p. 221. Lex hu-  
mana qvae cunque demum ea sit seu civilis, seu dome-  
stica et Oeconomica, non potest aliquid, tanquam bo-  
num, praecipere, quam id quod revera vel etiam lege  
divina bonum agnoscitur, et nihil e contrario tanquam  
malum

malum prohibere, quam quod revera malum est, ut idem nobiscum B. Robronscius affirmit. Loc. Cit. C. 3. §. 13. p. 223. Relinquitur itaque actus quosdam morales, antecedenter ad legem, in se et sua natura bonos vel malos esse.

## V.

**E**SSE autem Actus morales quosdam, antecedenter etiam ad voluntatem divinam bonos vel malos illud, probatur cum ex aliis rationibus, tum in primis ex eo, quod DEVS in quibusdam contrarium statuere non potest.

DEVM in actibus per se bonis et malis contrarium statuere haud posse, illud constat, ex ipsa sanctitate, justitia, et sapientia DEI. Sanctitas enim DEI est, qua ille per naturam et essentiam suam ad recte seu imbecilius, seu exterius agendum inclinat ac propendet abhorrens a contrario. Sequitur ergo DEVM. vi sanctitatis suae, ad id quod est per se bonum, per naturam propendere, ac ita inclinari, ut non possit aliter; Id vero quod per se malum est, tanquam contrarium sanctitatis suae, tamen ita prosequi, ut denuo non possit aliter. Sic e.g. DEVS quia cultum adorationis suae novit actum per se esse bonum, ideo per naturam ad hunc cultum adorationis suae ita inclinat, ut non possit eum vetare: Contra vero, quia videt blasphemiam, furtum, homicidium et alia vitia per se malos actus esse, per sanctissimam naturam suam ab his ita abhorret, ut non possit ea approbare seu praecipere, alias sanctitas ejus nulla esset. IL Justitia DEI est, qua is per naturam ad bonum remuneranda et malum vindicanda summa-

B

ma

ma cum aequitate fertur. Ex quo constat DEVUM bonos actus per se tales justitia sua non primum reddere bonos, sed per se tales, et ante jam judicatos et reprehensos bonos remunerare, ac malos actus per se malos justitia sua non tales reddere, sed per se tales et ante voluntatis actum dijudicatos punire et vindicare. Sic e. g. quia abstinentia ab alieno bono in se bonus actus est, DEVVS secundum justitiam suam non potest non eundem approbare et remunerare: Contra homicidium, furtum vi suae justitiae DEVVS non potest non vindicare, quia in se malus actus est, quando alter alterum, et quidem innocentem, interficit, vel aliena bona ad se trahit invito domino. Accedit III. sapientia vel potius scientia divina, qua DEVVS singulari perfectissimoque modo omnia cognoscit, adeoque et actus in se bonitatem aut malitiam dijudicat, ante, quam vult de ea aliquid, ita, ut, (quod horrendum dictu est) imprudens esset, si alter statueret, quam rem ipsam cognoscit. Quod si ergo recte homo judicat, iniquam esse actum, quod alter alteri bona eripit, indeoque furtum prohibet, quanto magis de DEO hoc est affirmandum nobis? An vero illum adeo improbum, injustum, et imprudentem statueremus, ut ad id, quod in se bonum esse videt, non inclinet, sed pro malo illud habeat, ab eo autem quod in se malum esse intelligit, non abhorreat? Absit ut illud vel cogitemus! Sequentur autem haec omnia, si statueremus, actus nullos morales dari, qui antecedenter ad voluntatem divinam boni sint, vel mali. Praeterea antecedenter ad voluntatem divinam actus quosdam morales bonos vel malos esse, ratione probatur consequenti: Quicquid nomine de illo cogitante id est, quod esse dicitur, istud voluntas divina non potest prius facere, ne constituere bonum vel malum. Atqui cultus

Cultus DEI, adoratio ejus, dilectio proximi, abstinentia  
ab alieno bono et similes actus, nemine de illis cogitante,  
sunt, quod esse dicuntur. Ergo voluntas divina eos  
bonos primum efficere nequit. Qvicquid enim jam  
sunt, illud non opus est, ut fiant. Sic veluti haec pro-  
positio: homo est animal rationale, vera est, citra divi-  
nae voluntatis operationem, salva omni DEI perfectio-  
ne eminentissima; ita quoque, eadem salva perfectio-  
ne, blasphemia Divini Numinis, adulterium, etc. turpia  
et mala sunt, praecisa divina voluntate. Inde Vazquez  
recte scripsit, quaedam ita ex se esse mala, ut natura sua  
id habeant, non voluntate DEI prohibente, aut judice  
indicante; nam sicut ex se, non ex voluntate aut intel-  
lectu DEI essentiae rerum non implicant contradictionem,  
ut supra dicebamus, ita etiam odium DEI et per-  
jurium etc. ex se, non ex solo intellectu aut voluntate  
DEI, disconvenientia sunt homini.

## VI.

**P**orro idem elucet ex eo, quod voluntas nihil  
potest velle, seu ad aliquid respicere quod  
non jam in se habeat qualitatem aliquam et reve-  
ra aliiquid sit.

Pleraque scilicet attributa DEI, quae respectiva  
nuncupari solent, ita sunt comparata, ut supponant qua-  
litatem aliquam, vel etiam capacitatem ex parte objec-  
ti ad quod terminantur. Sic e.g. misericordia, ut actu  
se esse exerat in Deo, supponit miseriam, justitia vindicati-  
onem culparum, potentia, non repugnantiam, voluntas bo-  
nitatem, intellectus seu scientia cognoscibilitatem. Per-  
inde se res habet cum moralitate, quae duo fundamen-  
ta ex se et sua natura respicit: Alterum ex parte DEI  
qvod

quod est voluntas, seu ipsa sanctitas justitia et sapientia DEI; Alterum ex parte objecti quod dicitur interna capacitas et habitudo actuum, quae vel in decencia, vel indecentia naturali consistit, quam voluntas divina secundum justitiam et sanctitatem, vel praecipit, vel prohibet. Ex quo perspicuum est, actus denominandos esse morales, non a sola voluntate divina, sed insuper ab ipsa objectorum constitutione et natura.

## VII.

**A** Scopo igitur valde aberrant, primum illi Scholasticorum, qui formale actuum moralium in voluntario & libero constitutum.

In errore eos versari merito diximus, qui voluntarium et liberum pro formalis actionum moralium agnoscunt. Sunt vero hujus sententiae propugnatores Scotus, lib. 2. pag. 91. Danerus in Theolog. Scholast. et alii, quam sententiam plane falsam esse quis non videt? voluntarius enim actus est, quia sciente et cogitante suscipitur; liber est, qui ex libero et spontaneo arbitrio agentis sine coactione proficiscitur, quae descriptiones materialiter potius quam formale actuum moralium constituant, quia omnibus fere actibus in communi convenient. Forma vero ipsam specificam differentiam indicare debet. Deinde actus, quatenus voluntarius et liber est, ex natura hominis simpliciter considerata fluit, et ideo moralis esse non potest, sed potius indifferens. Nobis de formalis actuum moralium, quatenus morales sunt, sermo est.

## VIII.

**E**rrant deinde vehementer et si ex recentioribus moralistis, qui formale actuum moralium in imputativitate constituant.

Hanc sententiam Pufendorfius in primis tuetur cuius verba in lib. I. cap. 5. de Jure Naturae et Gentium §. 3. haec sunt: *Formale actionis moralis consistit in imputativitate, ut ita loquar, quæ effectus actionis voluntariae agenti potest imputari; et mox in eadem §. Formalis ratio actuum moralium nihil est aliud, quam illud cur agenti voluntario effectus imputatur vel imputandus est.* Qui accedit Strimens in Disp. de Prima Moralitatis Causa §. 6. At enim vero imputativitas diversimode accipitur, vel generaliter prout omnes actiones imputari possunt, vel specialiter, prout tantum actiones morales imputantur; quæc iterum vel merita est, quæc versatur circa actum bonum vel demerita, quæc versatur circa actum malum. Ex utriusque descriptione facile intelligi potest, imputativitatem effectum potius actus moralis esse, quam formam et essentiam. Itaque nulla imputativitas adesse potest, nisi praecesserit ejus causa, nimirum ipse actus moralis, qui deinde efficit imputativitatem ideo enim alicui actus imputatur ad laudem vel virtutem, quia vel bonus vel malus est. Quicquid vero effectus rei est, illud non potest formale ejus absolvere.

## IX.

**N**Ec ea sententia pro genuina et vera agnosciri potest, quæ valorem aestimabilem formam actuum moralium constituit.

B 3

Qvod

HO. XI.

Qvod ex eo probatur, qvia **valor aestimabilis** tantum **externa** qvaedam est **moralitas**, atque ideo **internam** et veram actus formam, seu essentiam constituere haud potest. Datur enim **formale**, vel **externum**, vel **intrinsicum** et **constitutivum**; prius **valori aestimabili** qui-dem convenire concedimus, sed non posterius. Atque ideo aliquali qvidem ratione valorem istum pro moralitate seu bonitate et malitia agnoscimus. Si scilicet intelligas bonitatem et malitiam actuum moralium juxta legem naturae naturalium, non vero positivarum: In illis enim actibus, qui referuntur ad legem positivam, qui indifferentes sunt, valor aestimabilis ante legem non valet. Sic e.g. actus monetam cqdendi, qvia est actus in se indifferentis, non prius fit malus, quam eum lex interdicit. Ergo ille valor tantum in actibus per se bonis aut malis, non vero positivis, ante legem ineſt. Ex quo jure colligitur qvod, qvicqvid non datur in omnibus actionibus bonis vel malis, illud **formale omnium actuum moralium** non potest constituere. Re-ctius **formale actuum moralium** per se bonorum et malorum in interna bonitate ac malitia constituitur, ut supra demonstratum est. Qvicqvid enim omnem actionem moralem formaliter bonam vel malam con-stituit, atque ab aliis indifferentibus actibus distingvit, illud est **formale actuum illorum moralium**. Atqui de interna bonitate ac malitia hoc haec tenus demon-strarum est: Ergo. Sed ne diutius hisce litibus, ad propositum nostrum tam necessario non pertinentibus, immoremur; ad ea nos convertimus, quae magis no-stri sunt instituti, illosque producimus, qui ipsam hanc moralitatem pervertere summo cum studio inten-dunt.

Cod

X. Non-

**N**Onnulli scilicet veterum eo prolabuntur, ut natura nihil turpe aut honestum, vel bonum et malum esse, statuant.

Pyrrho, Aristippus et alii, eo progressi sunt, ut scripserint, μηδέν τι ἔναγ φύσει δίκαιον, οὐ καλὸν οὐ αἰσχρόν, αλλὰ ρόμπη καὶ ὕβρις, nihil esse natura justum vel bonum, vel turpe, sed omnia lege et consuetudine. Inprimis *Carneades* banc sententiam omnibus defendit viribus, afferuitque; *Jura sibi homines pro utilitate sanxisse, variisque secundum mores, et temporis rationem saepe commutasse;* *Jus autem naturale esse nullum, omnesque homines et cuncta animantia ad utilitates suas, natura ducente, ferrari:* *Proinde aut nullam esse iustitiam, aut si sit aliqua, summae esse stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consulens.* Cui assentit Epicurus et alii. Hujus sententiae absurditas, licet per se pateat, examinanda tamen hoc loco est, et refutanda rationibus nonnullis. Qvod ad Aristippum attinet, observandum probe est, in hominibus consuetudinem ne mente quidem concipi posse, nisi tanquam usum diuturnum actionum vel bonarum vel malarum a lege normandarum, et nobis ad imitandum vel vitandum propounderarum. Oportet enim ut concedatur, hominem ab ipso ortu suo, antequam consuetudinem habuit, actiones effecisse turpes vel honestas: Cum ipse homo, quanquam eum ab omni consuetudine abstrahas, tamen honestum vel turpe quid ad minimum intelligat, nihilque facile in effectum deducat nisi ante secum cogiter, utrum, quam suscipit, actio bona sit an mala. Cogitemus hominem, actum qui producat malum, quatenus magno saepius cum timore inter-

interno illum conficiat. Vnde quaeſo iſte metus, p̄aefertim in illo, q̄i legem negat? non certe aliquid, q̄yam ex ipſa naturali actus malitia seu turpitudine proficiſcitur. Huic poſtea et voluntas DEI et lex accedit DEI, ſtatiū ab ipſo homini orta ac creatione, ea; q̄vae natura bona ſunt aut mala, oſtendens. Ex quo ſic colligo terminos: Qvieqvid ante legem et conſuetudinem natura pateſcit, illud per ſe, non ſola lege et conſuetudine, addiſcitur; Sed actus q̄vosdam morales honestos ac turpes eſſe natura homini ante legem et conſuetudinem pateſecit. Ergo qvidam actus morales per ſe et natura honesti ſunt vel turpes, non ſola lege aut conſuetudine. Major per ſe vera eſt, minor ſupra eſt confirmata. Tantum vero abeſt ut Carneades reiā comoda explicuerit, iuſtiā nominans ſtūtitiā, utileque illi p̄aeferens, ut pōtius imprudentiſſimi moralium appellandi ſint illi, qvi utile iuſtitiae p̄aeferunt. Num propter exiguum aliquod lucrum omnīs generis horrenda et turpiſſima iuſcipienda erunt facinora? nemo ſapiens id affirmabit. Rectius iuſtitia aſteritut. Iuſtitiam vero ex utilitate hominum ortam eſſe, ſententia prorsus falſa eſt et inſuper admodum inconveniens. Homo certe naturam omnino ſuam negare non potest, Naturā autem ei diſtitat, ſuum cūiqvē eſſe tribuen- dūn, nemidem laedendūn, et q̄vae ſunt alia ipſius iuſtitiae prima principia. Ergo perſpicuum eſt iuſtum natura cognitum eſſe, non ex utilitate hominum oriri, neque iuſtitiam ſtūtitiā appellandam eſſe, de qua longe rectius et melius judicavit Orator Romanus in hunc ſenſum: Haec illa (ſcilicet iuſtitia) eſt omnium domina et regina virtutum a qua in omne hominum genus leges et jura manarunt. Qva ſublata non do- mus illa, non civitas, non hominum inter ſe ſocietas; non

Non ipsa denique universitas return stare aut tueri se ad  
panem temporis posset. Qvis ergo tam amotae  
mentis erit, ut utilitati eandem praeferat?

XI.

**S**VNT post illos alii, qui moralitatem seu boni-  
tatem ac malitiam actuum non negant, attra-  
munt ad voluntatem solam institutaque hominum  
seu legem Magistratus supremi, eandem referunt.

Hujus erroris propugnator praecipuus est Hob-  
besius in lib. de Cive et aliis quibusdam scriptis, in qui-  
bus omnes actiones docet a sola lege civili seu princi-  
pis ac summari Magistratus determinari, ita quidem, ut  
quicquid illa justum et injustum, utile et inutile, bonum  
et malum, honestum et turpe judicet, illud ita se habeat;  
alioquin sine lege dicta nihil esse per se bonum aut ma-  
lum, illicitum aut illicitum, honestum aut turpe; omnia  
per se esse indifferenta et determinari posse ab opinio-  
ne hominum. Quae sententia et Deo et naturae adver-  
sat. Deo, quia rejicitur ejus providentia, imo et ipsa  
existentia. Qvodsi enim omnes actiones a sola volun-  
tate libera hominis, seu principis, dependent, eadem  
que sola determinantur, rejicienda lex divina omnis  
erit, quam plane nullam esse oporteret; neque provi-  
dentialae divinae acta dirigente ac determinante opus  
erit, quippe cum homo ipse suas actiones determinare  
ac gubernare possit. Imo DE VS ipse negandus erit:  
Nam si omnes actiones a magistratu summo tantum  
dependent, ita ille nobis solus leges praescribere, prae-  
mia dare, supplicia et poenas solus constitueret, imo res  
omnes vel bonas vel mala reddere pro lubitu potest;

C

qvid

qvid DEO tandem opus erit? qvod horrendam dictu? Qvaecunqve igitur sententia legem, providentiam et gubernationem D E I negat, illa D E I rejicit ipsius existentiam; Atqve haec Hobbesii id facit; ergo hoc ipso, ipsum atheismum aperte profitetur. Tum vero et naturae adversatur haec sententia. Qvodsi enim nullae dantur leges, nisi a principe datae, sequitur multos nec bene nec male agere, sed brutorum more vivere, illos scilicet, qvi summo Magistratu ac principe destituuntur, qvod absurdum. Deinde, hoc posito, summus Magistratus, seu princeps, nullum superiorem agnosceret, nullasqve alias leges, et consequenter nullam obligacionem superioris habebit; Ideoqve omnia turpissima, crudelissima ac nefanda facinora committere impune et liber poterit, imo etiam subditis suis praincipere. Nec deniqve si haec omnia admittenda sunt, ulla expectanda erit societatis humanae conservatio, qvia principi impio summa in legibus iniquis ponendis potestas attribuitur, ut furtum, adulterium et alia id genus flagitia praincipere possit, qvibus certe omnis, uno quasi ictu, tolleretur humana societas. His itaqve demonstratis, nemo solam voluntatem seu institutum hominis ac principis pro unica norma aut forma actuum honorum malorumqve agnoscat.

## XII.

**S**Vnt porro, qvi, omnem bonitatem et malitiam actuum moralium a sola voluntate ac lege Dei dependere docent.

Defendunt hanc sententiam Scholastici plerique speciatim Occamus, Gerson, et alii, qvorum hic P. 3.  
p. 6r.

p. 6r. nihil est, inquit, malum nisi quod prohibitum a DEO, nihil bonum nisi quod a DEO praceptum, Vel, DEVS non ideo actus nostros vult et approbar, quia boni sunt, sed ideo boni sunt, quia eos approbat: Sic Petrus Alliaco et reliqui, una cum recentioribus Vasqvio, et aliis eo probabuntur, ut putent, actum moralem ita a voluntate ac lege DEI dependere, ut DEVS quocumque malum pro bono et pro malo bonum admittere possit, ut et perjurium, et adulterium, et caeteri actus pessimi boni sint. Sic enim loquuntur: Posset DEVS mentes hominum hac imbuere opinione, hancque legem facere, ut hominem homini insidiari, aut necem inferre, aut quovis modo ei nocere, nefas non esset, etc. ne plura hujus generis impia et abominabilia proferantur verba. Hactenus enim prorsus contraria hac in re confirmata est sententia. Ad Gersonis verba respondemus negando, illud quod nihil sit malum nisi a lege prohibitiva, nihilque bonum, nisi a DEO praceptum, cum detur etiam natura bonum vel malum. Quodsi vero nihil bonum aut malum esset, nisi voluntate DEI determinatum sequeretur, omnia quae nunc mala et peccata sunt, eadem bona et honesta esse: Quod licet concedat Vasqvius, impium tamen maxime est et longe falsissimum. DEO enim attribuit atheismum, sui odium, blasphemiam, amorem diaboli, perjurium, sodomitiam, et quaevis horrenda sclera alia, quod dictu nefas imo blasphemum est. Nec Pufendorfi sententia, quam tradit cit. loc. L. I. c. 21. §. 3. Pro genuina est admittenda, quia et haec bonitatem et malitiam ex sola voluntate DEI deducit, adeoque extrinsecam actus formam tantummodo exponit. Ex supra autem demonstratis satis superque hactenus innotuit, praeter istam formam externam in actibus per se bonis ac malis, dari

etiam formam aliquam internam, quae ex sola voluntate DEI libera deduci negavit, sed fundamentum habet in immutabilitate perfectionis justitiae et sanctitatis divinae, imo, et praecipue quidem, in actuum intrinsecum ratione et habitudine supra jam declarata. Objiciunt hic adversarii, DEV M non esse independentem, si ad hunc modum ab aliquo principio, nimurum justitia sanctitate et sapientia dependet, aut DEV M non esse liberum, quia contrarium statuere in omnibus non posset. Observandum itaque est, nos non docere, quod DEV S ab alio extrinseco principio, sed ab intrinseco adeoque a semetipso determinetur: DEV M vero a semetipso dependere (liceat sic loqui) omnes profitentur. Sed porro obvertit Pufendorfius, DEV M ut omnia, ita et hominem liberrima voluntate creasse, ita ut per consequens actioni hominis non possit competere aliqua affectio, quae extra DEI impositionem et bene placitura constituantur. Qvamobrem distingendum probe est inter hominis existentiam et ejus essentiam: quoad existentiam concedimus quod DEV S hominem liberrima voluntate creaverit, ita ut eum potuerit etiam non creare; sed quoad essentiam non potuit Deus hominem creare aliter, quam rationalem, certe, leges suae ipsius perfectioni repugnantes cordibus hominum inscribere non potuit. Succedit ejusdem sententiae propugnator aliis, ille scilicet Auctor, qui nuper admodum orbi eruditiori animi sui impudentiam ac imbecillitatem satis temerariam, inanemque audaciam nimis laculenter tractauit, isto declaravit, quem nominat. Ausführliche Abschrift  
gung deer unbefugten Beschuldigungen / womit ein Anonymus Herr Johann Franciscum Buddeum angefallen.  
Ut vero Autor iste in aliis, ita certe hac quoque in re inconsulto et absurde procedit, quod paucis eripaus demon-

monstratur. Primo statim intuitu absurdum illud oculis se se offert nostris, quando actiones inquit in se et sua natura turpes vel malas esse non posse, ex eo, quod mensuram seu normam agnoscunt, quasi vero mensura eas tales primum constituant. At enim vero actus in se malus esse omnino potest, quanquam lex ut norma et mensura accedit, et hunc in se malum actum vitandum demonstret. Perinde ut linea recta ante jam existit recta, quam norma eidem admovetur. Deinde ita colligit terminos: *Si omnes actus morales respectum necessarium ad finem habent, sequitur eisdem respectum habere ad voluntatem Dei.*: Resp. Concedendo totum argumentum salva Thesi: Hoc enim nunquam negavimus, quod omnes actiones morales respectum habeant ad voluntatem Dei, praesertim si eam in sensu sumas identico, quomodo a parte rei idem est cum ipsa sapientia, justitia, et sanctitate Dei. Sin vero voluntatem DEI consideres pro nostro concipiendi modo, nude abstracte ab omnibus attributis Dei, non dicitur primum determinare actus morales per se bonos, aut sola hujusmodi actus, ut sint tales, constituere. Quare et conseqvens conclusio, quam autor iste ex hoc arguento deducit, corruit, quando, sc. inquit, *Actus M. respectum necessarium ad voluntatem divinam habent, si ob eisdem causam boni vel mali sunt.* Rectius dixisset, quod, quanquam actiones morales respectum ad voluntatem divinam habeant, tamen propter hunc solum respectum eos non esse bonos, quia quaedam actiones in se quaque bona vel malae sunt. Explicationem hujus phraseos, **R E S P E C T U M N E C E S S A R I V M H A B E R E**, ita posca subiungit, quod cum aliquid dicatur respectum habere necessarium, quando res quaedam ab altera ita dependet, ut sine ea esse non possit. Qyod quidem concedimus, sed addimus

mus qvod exinde non sequatur, ut illud ad qvod quid necessarium respectum habet, sit ejus formale constitutivum, primum. Porro docet, *actum moralem ex voluntate causae incitantis, non autem per se et sua natura honestum vel turpem esse*, sed tam inconvenienter, ut responsionem vix mereatur. Non enim causa impellens cum interna tum externa rem constituit in esse suo, sed potius rem jam constitutam ad effectum facilius promovet. Ulterius *prolixè de voluntate Dei agit libera*, de qua jam supra contra Pufendorfium quaedam annotavimus. Est nimurum voluntas Dei vel necessaria vel libera: Necessaria quae ab intellectus divini iudicio atque justitia, et sanctitate ita dependet, ut non possit aliter quin velit id, qvod intellectus divinus, per se bonum esse judicat, et nolit id, qvod intellectus per se malum judicat, qvod ipsum in actionibus per se bonis vel malis, ut antea demonstratum est, accidit. Manet interim necessaria haec voluntas nihilominus independens, quia ab intellectu ipsius DEI adeoque ab ipso DEO tantum dependet. Et falsum est, qvod Autor afferit, *voluntatem DEI sine intellectu aliquid efficere*. Quanquam enim voluntas DEI nostrae similis non sit, sine intellectu tamen, id est sine ipso DEI consilio, iudicioque intellectus, nihil agit. Sed enim vero conatur citatus Autor voluntatis divinae libertatem afferere argumentis consequentibus. Primum sic colligit: *quaeunque doctrina cum justitia et sanctitate divina libertatem quoque voluntatis DEI defendit, illa preferenda est ei, quae collit libertatem voluntatis divinae*. Atqui doctrina, qvod actiones morales propter solam voluntatem DEI tales sint, id prostat. E. In hoc arguento et Major fallit et minor propositio, qvid nimurum E. si falsa inde consequatur conclusio. Alio deinde arguento insurgit ad hunc modum: *Quicunq[ue]*

que docet. Deum etiam sine voluntate sua aliquid facere oportere, illa libertatem voluntatis divinam tollit. Atqui illi qui actiones morales in se et sua natura antecedentes ad voluntatem divinam statuunt, istud docent. E. In hoc argumento Minorem pernegamus. Concedimus, quidem, Deum secundum intellectus sui judicium, ipsamque sanctitatem ac justitiam agere oportere; At, voluntatem divinam eo ipso non excludimus, nec tollimus libertatem voluntatis divinae, scilicet in rebus per se non bonis, in quibus voluntatem liberam non negamus; in actionibus autem in se et sua natura bonis vel malis dicimus, Deum magis secundum intellectum et justitiam, sapientiam ac sanctitatem, quam nudam voluntatem, et appetitum, agere, cum actus in se bonos aliter statuere non possit sed praecipere illos vii sanctitatis suae teneatur et, vice versa, vi ejusdem sanctitatis, actus malos praecipere nequeat. Reliquae conclusiones, quas ex hoc argumento deducit, rejecto argumento ipso, per se concidunt nullaque refutatione opus habent. Neque ea quoque deductione ad absurdum aliquid efficit, quando si actionis moralitas, inquit, a voluntate DEI non dependet, a DEO ipso quoque non dependet, ratio; quia alias essentia DEI esset divisa in intellectum et voluntatem. Sed videat, ne, cum nos absurdi alicujus accusat, ipse in id prolabatur. Non enim realis est divisionis, quando homo, pro suo concipiendi modo attributa Dei mentaliter dividit, et inter consilium ac judicium Dei, atque ipsam postea voluntatem ejus, distinguat. Quemadmodum, qui docet, Deum esse misericordem et Deum esse justum propterea Deum realiter non dividit in Deum misericordem et justum. Instat autem porro citatus Auctor, ad minimum concedi debere, quod sine voluntate Dei aliquid a Deo dependeat.

Sed

Sed et illud falsum est: Nós enim voluntatem Dei non  
plane excludimus sed solam pro essentiali ac constituti-  
vo principio actus moralis per se boni et mali non agno-  
scimus. Multo minus vero ex nostra sententia fatum  
deduci debet Stoicum vel Manichaeistum, qvi neque  
duplicem Deum, bonum et malum fingimus, neque  
externum principium Deum cogens et adjungimus, ne-  
que Deum autorem boni, simul et mali constituimus.  
Omnes potius errores, istos studiose evitamus; qvi ex-  
contraria sententia facilius, quam nostra, deducere possunt.  
Scepticimus vero moralis, quem citatus Autor ex no-  
stra sententia deducere conatur, per nostram senten-  
tiam destruitur potius et rejicitur, qvia certam boni-  
tatis et malitia rationem suppeditamus nempe praeter  
convenientiam vel disconvenientiam cum voluntate,  
justitiaqve Dei et lege, convenientiam vel disconvenien-  
tiā internam quoque actionis cum objecto et omnibus  
eiusdem requisitis necessariis. Inde adeo etiam Scho-  
lasticorum ille error quasi detur ius naturae sine Deo;  
nobis temere affingitur: Deum enim pro Autore iuris  
naturalis omnino agnoscimus. Tandem et contradic-  
tionem nobis attribuit, nostram scilicet sententiam ita  
se habere, ut cum dicamus, dari actiones per se et sua  
natura morales, id idem fit, ac si diceremus, esse actio-  
nes, quae quatenus physice considerantur, morales  
sint. Sed vero non recte exponit formalem rationem  
actionis physicae; quae nihil aliud est quam externus  
quidam motus, sic e. g. in caede, motio manus adver-  
sus alium, est actio physica; contra vero quatenus ea-  
dem haec actio ratione subjecti et objecti consideratur  
praeterea que ad legem refertur et voluntatem Dei ea-  
tenus demum moralis esse incipit, id quod contradictionem  
involvit nullam. Neque vero reliquae pro-  
batio-

bat ones citati Autoris, qvas ex Scriptura S. deponit; magni momenti sunt: Omnia enim in sensum alienum fere detorquentur. Qvare sufficient ea, qvae pro juvenili aetate atqve ingenii mei modulo hactenus adduxi. Omnia percensere et instituti nostri et temporis ratio prohibuit. Erunt fortassis et graviores et sapientiores alii, qvi temerariam audaciam citati Auctoris et copiosius et majore cum pondere reprehendent.

### XIII.

**R**estant alii, qvi actus omnes sua natura indiferentes esse aliam ob causam perhibent.

Dantur scilicet, qvi idem cum prioribus Aphorism. X: citatis asslerunt, qvod omnes actus indiferentes sint, idqve exemplo brutorum patere docent, qvibus illud, qvod incestum alias et caedem nominamus, similiaque licita sint. Hi non videntur distingvere satis inter actus physicos et morales. Physicos actus indiferentes esse, brutorum exempla docent, qvorum actiones mere physice sunt. At hominum actiones non possunt, nec debent tantummodo considerari, ut actus mere physici, sed ut actus morales, qvi, qva tales, non possunt esse dicive, indiferentes. Qvare illi ex recentissimis, qvi contrarium tuentur, ac omnes actus humanos natura esse indiferentes docent vehementer errant, qvos commemorare odiosum foret.

### XIV.

**S**icco pede praeteriri non debent illi, qvi opinionem probabilem pro fundamento moralitatis omnibus actibus moralibus substernunt.

D

Magnus

Magnus certe error est illorum Scholasticorum; qvi existimant, eum bene sibi consulere, et a peccandi periculo longe remotum esse, qvi probabilem opinionem, qva actum qvem perpetrat, minime malum esse per-  
svasum sibi habet seqvitur, ita ut vel unius doctoris au-  
ctoritatem ad id sufficere posse perhibeant. Hi omnes,  
qvia ex opinione hominum deducunt omnem actuum  
moralitatem, actus per se bonos et malos dari perfa-  
cile inficiantur.

## XV.

**R**ectius qvidem procedere videntur illi, qvi in actibus per se bonis aut malis rectam rationem pro fundamento moralitatis ponunt, sed et hi non minus a vero scopo nonnihil aberrant.

Sunt, qvi optime sibi consuluisse arbitrantur, si asserant illud, qvod est conveniens recte rationi, bonum esse, illud malum, qvod naturae rationali non est con-  
veniens, furtum, v. g. qvia conveniens non est naturae rationali malum esse, contra vero eleemosynam bo-  
num qvid esse qvia conveniens est naturae rationali, ut cum Vasquezio loquamur. Sed vero neque haec sententia rem omnem accurate exhaustit. Recta enim ratio qvae hoc loco non est omnino excludenda, ad moralem actum se potius subjective habet quam effi-  
cienter, ut doctissimus Zieglerus observat in Not. ad Grot. de J. B. P. p. ii. ubi vehementer (inqvit) dubito, utrum humana natura (rationalis nempe) recte dica-  
tur mater juris naturalis, qvippe qvae potius subjecti-  
ve se habet, quam effienter. Bonitas vero et malitia in ipsa actionis natura intrinseca quaerenda est. Sic, v.  
g. furtum non ideo malum qvid est, tantum propterea,  
qvia

qvia non convenit cum recta ratione, verum etiam propterea, qvia internam cum objecto suo, nimisrum cum bono alieno, habet disconvenientiam, vel, ut cum Zieglero loquamus, qvia non decet, hoc est, qvia adversatur juri naturae, et in se est indecorum quid; dare autem eleemosynam, ideo bonum quid, esse dicitur, qvia internam habet convenientiam cum objecto, nimisrum egente, non tantum propterea, qvia congruit cum recta ratione. Patet itaque falsam esse S. Thomae aliorumque opinionem, qui rationem actionum humana- rum regulam esse docent adaequatam, et ita quidem proximam, ut ab illa bonitas et malitia tantum dependeat.

## XVI.

**D**Enique et illa sententia, quae socialitatem pro fundamento moralitatis agnoscit, hic attin- genda est.

Defendit eam in primis Pufendorfius, qui conser- vationem societatis humanae fundamentum esse omni- um actionum moralium, et hominem, in societate non posse subsistere, docet, nisi media eidem, actiones sci- licet morales, concedantur, quae omnes vel bonae sint vel mala, prout vel conducant societati, vel eidem no- ceant. Non multum discrepant ab hac sententia, qui Pufendorfium, sequuntur, atque ideo aliquid existimant naturaliter praceptum esse vel prohibitum, quia neces- sarium nexum habeat cum societate humana, ut, quic- quid ita se habet, ut ex eo nec conservatio, nec destruc- tio salutis ac tranquillitatis publicae pendeat, illud o- mne pro naturaliter indifferenti sit admittendum. Vtra- que haec sententia non solum demonstrationem tantum- modo

modo a posteriori tradit, verum etiam nobis semper  
visa est quam maxime periculosa. (a.) Qvia ornam  
internam actuum qvorundam moralium bonitatem et  
malitiam, quam hactenus afferuimus, prorsus tollit.  
(b.) Qvia obscurior est, quam ut possit statim ab omni-  
bus intelligi, obscurior certe, quam vera illa defensa-  
qve hactenus sententia. (y.) Qvia a vero, primo, ac  
genuino moralitatis principio, multos abducit. (d.) Qvia  
actus multos, tanquam licitos et honestos, certe tan-  
quam indifferentes admittit, qui revera, imo in se et  
natura, sunt turpes et illiciti; qvod ex eo fit, qvia ex  
solo respectu ad societatem actus omnes judicat. (e.)  
Qvia legis N. autoritatem non confirmat, sed infirmat  
potius. (f.) Qvia ab honestatis consideratione ac de-  
monstratione vera, ad solum utilitatis respectum accu-  
piditatem homines adducit, ut vana non honestas  
postea, sed sola utilitate, seu respectu ad socialitatem,  
probent. (g.) Qvia multa et magna incommoda secum  
trahit. (h.) Qvia hujusmodi quid pro fundamento  
moralitatis admittit primo, qvod usqve adeo brutis  
etiam commune est, qvandoqvidem et bruta pleraqve  
videmus ea observare, qvae ad societatem sui generis  
conservandam spectant, de qvo Juvenalis non incon-  
grue canit: Parcit

Cognatis maculis fera. Qvando leoni  
Fortior eripuit vitam leo? Qvo nemore unquam  
Expiravit aper majoris dentibus apri?  
Indicat tygris, agit rabida cum tygride pacem  
Perpetuam: Saevis inter se convenit ursis.

Et Oratorum facile princeps, generi, inqvixit, animantium  
omni est a natura tributum, ut se vitam corpusqve  
tueatur, declinetqve ea, qvae nocitura videntur. Non  
itaqve dicamus aut porro existimemus, furtum, adul-  
terium,

terium, blasphemiam, et alia ejusdem generis turpisissima flagitia, mala esse tantum ex eo, quod socialitati adversantur; sed potius primum propterea, quia in se et per se sunt actus pessimi, et habent duconventionam, actus cum objecto suo et circumstantiis necessariis, deinde ex eo, quia et iustitiae et sanctitati divinae adversantur, indeque adeo legibus prohibiti sunt actus, et siq[ue] involvunt: Sic denum de veris, primis ac genuinis et malitiae principiis constabit rectius.

XVIL

**A** Ntequam colophonem imponamus operi, ex-  
pendamus ad ultimum quoque eorum opinionem, qvi amorem pro moralitatis principio primo  
venditant, et vel hac iterum ratione bonitatem et  
malitiam aestuum moralium internam negant.

Harjas sententiae defensores hodie nudi sunt, in quibus vel scholam Strinesium, et Thomassimum non inesse nobis sufficiat. Thomasinus, celeberrimus Hallensis Doctor, in seiner Kunst vorsichtig und tugendhaft zu Lissben/ seu in Interoduct. ad Philol. Mor. hanc sententiam copiose explicavit hic propugnat. Primo statim Cap. sic perhibet; Dasjenige sey alleine gut / was das Menschen sein Wesen und seine Kräfte am dauerhaftesten erhält und vernehret; Dasjenige aber sey wärdlich böse / was eine dauerhafte Verringerung / oder gänzliche Ausstirbung des Menschenlichen Lebens / und seiner Kräfte verursachet. Consequenter autem capitibus omnes actus humanos ad amorem rationalem referit ac dijudicandos esse perhibet, ita, ut quidam boni sint dicendi ideo quia ex amore rationali fluant; mali autem reliqui sint ideo, quia ex amore irrationali fluant. Sic enim, cap. IV. die Liebes inquit, ist das rechte Maß aller Tugenden / und ohne die-

selbe ist die Eugen<sup>d</sup> tod<sup>t</sup> / deinceps peculiari tractatione,  
in der Ausübung der Sitten-Lehre / ostendit, principium  
constituens adaeqvatum omnis mali in sensu morali  
esse amorem irrationalem. Qvae sententia qvam lon-  
ge a vero abhorreat, ipsamqve legem naturae e medio  
tollat, innumeraque incommoda secum trahat, nuper  
admodum Nobilissimus, Excellentissimusqve Dn. Prae-  
ses demonstravit in Disp. habita de Amore Rationali.  
Non repetemus ea; qvia ad finem properat nostra haec  
qvaliscunqve Dissertatio, ex qva, nisi nos fallunt o-  
mnia, jam tum omnes utcunqve intelligent, cultum,  
y. c., Dei actum esse dicive per se bonum, primo pro-  
pter internam bonitatem, seu convenientiam actus  
ipsius cultus, scilicet religiosi cum suo objecto cum  
Deo; deinde propter formam externam, seu respe-  
ctum, qvem habet hic actus, partim ad justitiam, fa-  
cientiam et sanctitatem Dei, partim ad voluntatem Dei.  
Deus enim animadvertis in hoc actu, cultu religioso,  
bonitatem internam necessariam scilicet convenientiam  
cum objecto suo proprio, cum natura divina, vi suae  
sanctitatis et justitiae non potuit aliter, qvin hunc  
actum hominibus praeciperet. Hinc ad ultimum  
idem ille actus bonus est et dicitur talis propter con-  
gruentiam qvoqve cum lege naturali et decalogica aliis-  
que legibus. Non vero tantum propter solum et nudum  
respectum ad amorem rationalem, qvi respectus nec  
primum conceptum nec primum principium moralita-  
tis constituit, sed actui huic per se bono extrinsecus ac-  
cedit tanquam affectio seu relatio externa, perinde ut  
in linea recta rectitudo ei re vera ante jam in est, qvam  
externum accedit examen istius lineae, collatioqve cum nor-  
ma congruente, qvippe qvae linea est, et talis constituitur in  
esse suo, non per examen illud externum sed per fluxum pun-  
ctorum, sine ambagibus, brevissimum, qvo illa tendit a ter-  
mino ad terminum via omnium brevissima.

**NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
DOMINO  
RESPONDENTI,**

Juveni pereximio, ingenii alacritate, industria, et morum  
elegantia praestantissimo

S. P. D.

**HENRICVS Klausing Praeses.**

**P**er opportune tuam mihi offerebas Disputationem, nobilissime Vir, de argu-  
mento elaboratam non ingrato, opposi-  
tamque illis, in quibus confutandis ipse quo-  
dammodo occupatus atque impeditus eram.  
Non potui proinde, quin coeptum tibi opus  
gratularer; teque ipsum confirmarem, ac  
in exemplum aliis producerem: Sunt enim  
illi, qui sua sponte ad res praeclaras susci-  
piendas feruntur, concitandi magis, et quasi  
in-

inflammadī, ut caeteris industria, laudibus,  
honore, et gloria praeluceant. Argumentum,  
quod copiæ diligenterque est a te per  
tractatum, ad prima pertinet de morib⁹ prin-  
cipia, in quibus constituendis tot hodie, eana-  
que erudit⁹ quandoque viri tantopere halluci-  
nantur, ut dici non possit. Quamobrem cum  
in his dijudicandis praeclare te gesseris, ingenii  
pariter exini, eu magna spe documenta praे-  
buisti. Vnus est in illis quos commemorasti,  
qui apud Jenenses Buddeum nuper defenden-  
dum sibi sumsit, omnium maxime non dicam  
a veris actuum moralium principiis alienus,  
sed ab omni etiam honestatis studio, pudore,  
modestia, et moderatione animi longissime  
remotus. Ego ei saniorem mentem appre-  
cor, tibi⁹que præstantissime Respondens, de-  
nuo congratulor, inquit omnibus, quæ dispu-  
tata sunt, assentior, Deus Immortalis divini-  
tus, benedicat studiis tuis, ut, quod reliquum  
est, studiorum cursum confidere feliciter, et  
magno olim ecclesiae ac reip. literariae esse  
emolumento possis, ipse denique omni sua  
gratia te complectatur. Vale!